

B. C. D.

DISSERTATIO MORALIS

exhibens

QVÆSTIONEM

AN ET QVATENUS  
FILIIFAMILIAS,  
SENATUS CONSULTO  
MACEDONIANO UTENTES,  
TUTI SINT IN CONSCIENTIA?

Quam

In Illustri Academia Lipsiensi  
Consensu benevolo

AMPLISSIMÆ  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

ad diem VI. Novembr. M DCC.

publice ventilandam suscipient

PRÆSES

M. CHRISTIAN. GODOFREDUS

MOERLINUS, Lig. Siles.

J. U. Candidat.

&

RESPONDENS

MICHAEL HENRICH Griebner / Lips.

H. L. Q. C.



L I P S I Æ,  
Literis IMMANUELIS TITII.



324

558



DISSERTATIO MORALIS  
QUESTIONEM  
AN BE QUATERNUS  
FILLIT A MILLAS  
SENA TUS GONVITIO  
MAGISTRUM ANO TITULAS  
TITULUM CONSTITU  
In Hunc Modum  
FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
MI CHRISTIANAE GONVITIO  
MOERL  
MICHAEL HE





L. B. S.



Istimus Tibi L. B. Disputa-  
tionem præsentem occasio-  
ne S<sup>C</sup>ti Macedoniani pro vi-  
rili elaboratam. Ne verò  
mireris materiam hanc à  
nobis, in Cathedra philoso-  
phica disputantibus, ele-  
ctam esse, scias, quod Thematis quidem an-  
sam Jus Civile suppeditaverit, non tamen ex  
eò norma decisionis petita sit. Utut enim  
una alterave Lex in sequentibus paragraphis le-  
gatur allegata, illa tamen ad meliorem expli-  
cationem faciet, & juri Naturæ conformis, vel  
ex hoc desumpta & orta nobis venit. De pro-  
lixiori igitur Excusatione solliciti jam non su-  
mus, cum probè adhuc sciamus, Eos fere o-  
mnes,

omnes, qui de Jure Naturæ præcepta tradiderunt, multa ex Jure civili desumpta suis operibus inseruisse, Legesque ad naturalem æquitatem revocasse. Ut tamen omnem evitaremus obscuritatis notam, operæ pretium nos facturos existimavimus, si explicationem Terminorum, exemplo Ulpiani in *l. 1. ff. d. J. & J.* ante susciperemus, quam ad ipsam quæstionem accingeremur. F. D. F.

§. I.

**I**ntelligimus igitur per Filiosfamilias in Rubro disputationis nostræ Illos, qui adhuc patriæ potestati subsunt. *l. 4. ff. de his qui sui vel al. jur. &* quibus imperandi potestas quoad personam & res ipsorum Parenti competit. *pr. J. d. Nupt. l. 4. ff. d. R. J. & l. 6. C. de bon. que liber.* adeoque excludimus eos, qui vel patriæ potestate soluti sunt, vel respectu quorundam peculiorum saltem, scilicet castrensiū & quasi castrensiū, pro Patribusfamilias habentur. *l. 1. §. f. l. 2. ff. d. S Ct. Maced. l. f. §. f. C. eod. Conf. Christinum V. III. Dec. XXXV. n. 3. Ant. Perez in Cod. tit. ad S Ct. Maced. n. 2. 3. Philipp. Us. Pract. Instit. Lib. IV. Ecl. 61. n. 11, 12. Carpz. L. 2. Resp. 105. n. 17, Vinn. ad §. 7. J. Quod cum eo qui in al. pot. verb. qui.*

§. II.

SenatusConsultum Macedonianum definiunt, quod sit Jus à Senatu Romano introductum, efficacem filiofamini-

miliās mutuo datæ pecuniæ repetitionem denegans. *Lauterb. ad π. tit. d. SCt. Maced. §. 2. Fromm. D. de SCt. Maced. tbes. 4.* cujus exceptione opposita actio á Creditore instituta eliditur *l. 1. l. 11. ff. ad SCt. Maced. j. l. 112. ff. d. R. J.*

§. III.

Nec difficile erit conjicere, unde Macedonia dictum fuerit; Notissimum enim est, Macedonem fœneratorem illum famosissimum, insignemque Juventutis corrupendæ artificem huic condendo occasionem dedisse. *l. 1. ff. de SCt. Maced.* Erat enim, ut *Tacitus Lib. 6. Annal. cap. 16. n. 2.* ait, *Vetus Urbi fœnebre malum, & seditionum discordiarumque creberrima causa*, quo corrupta Juventus Romana Parentibus insidiandi ansam arripiebat, quod maximam sæpe discordiam Romæ excitavit teste *Floro Lib. 1. cap. 23.* nec unquam Legibus satis coërceri potuit. vid. *Alex. ab Alex. Genial. dier. Lib. 1. cap. 7.* & *Tacitum cit. loco*; tanta porrò Fœneratorum & imprimis dicti Macedonis erat Improbitas, ut Illorum Malitiæ & Adolescentum, quæ inde vires sumebat, Luxuriæ Magistratus Romanus occurrendum putaret, quo materia peccandi præscinderetur. *l. 1. ff. de SCt. Maced. §. 7. J. quod cum eo qui in al. pot.* Etsi enim variis antea Legibus hæc Fœneratorum Improbitas coërcita, & mutuum filiis familias dare prohibitum fuerat; Macedo tamen semper sectabatur Nomina, filiisque familias Parentibus insidiandi vel minimum mortem Eorum exoptandi ansam præbebat. Ac proinde Vespasianum Imperatorem *Suetonius in vita Ejus c. 11.* Senatui Romano auctorem fuisse, ait, decernendi: Ne Filiorum familias fœneratoribus exigendi ( scilicet

cum effectu ) creditum Jus unquam esset , ne quidem post mortem Patris. *conf. Anton. August. de Leg. § SCt. in SCt. Maced. & Grotius Flor. Spars. ad Jus Justin. t. d. SCt. Maced. j. Hahn. ad Wesenb. tit. d. SCt. Maced. n. 1.*

§. IV.

Num igitur Filiifamilias hoc SCto utentes tuti sint in Conscientia, in præsentî Dissertatione excutiemus. Putamus autem eos tutos esse in Conscientia dicendos, quorum facta neque contra honestatem, neque pietatem, neque generaliter contra bonos mores sunt *l. 15. ff. de Cond. Instit.* sed cum ratione naturali & æquitate conveniunt, varias interim Conscientiæ definitiones divisionesque aliis expendendas relinquimus, eosque ad *Puffend. d. J. N. & G. L. 1. cap. 3. §. 4. & seq. & Laymann. Theol. Moral. Lib. 1. tr. 1. c. 2. n. 1.* remittimus, nobis enim fusius ista persequi, in præsentiarum non vacat, cum pro more expositis, quæ in Rubro disputationis difficultatis aliquid habere videbantur, ad ipsam quæstionem sit perveniendum,

§. V.

Visa autem hæc semper fuit utilissima, nec indigna, quæ loco Speciminis Academici ventilaretur. Cujus enim rei major cuivis Cura esse debet, quam Conscientiæ? quæ Contemptores sui perpetuis infestat moribus, turbat continuò, nec unquam sinit esse securos. Cumque non rarò filiifamilias hodiè quoque Pecuniam mutuò accipere soleant, non abs re erat, quatenus Exceptione SCti Macedoniani juxta juris Naturæ & æquitatis dictamina conventis uti liceret, disquirere. Unum fuit, quod

quod nos ab hujus quæstionis ventilatione deterrere videbatur argumenti Gravitas & diversæ Virorum celeberrimorum Sententiæ, quorum alii prorsus humanitati temporis nostri & mansuetudini morum repugnare hoc Senatus Consultum statuerunt, conf. *Wissenbach, ad π D. 128. th. 32. Vinn. ad. §. 7. J. Quod cum eo qui in al. pot.* alii & frequentius quidem sine omni Limitatione usum ejus concesserunt. Moverunt hæc nos fatemur, non tamen ita, ut plane abjiceremus animum, & à proposito nostro desisteremus, certam expectantes veniam, si in argumento, cujus decisio maximos inter Doctores peperit dissensus, nobis quoque humani quid pati contigerit.

§. VI.

Ut verò eo clarius res patesceret, putavimus Quæstionem in duas dividendam esse partes, quarum altera consideraret: Utrum beneficio hujus S<sup>C</sup>ti filii familias se ab omni prorsus obligationis vinculo eximere queant. Altera Quatenus iisdem Exceptionem S<sup>C</sup>ti opponere & hoc modo Creditoris actionem declinare liceat, exponeret.

§. VII.

Rationes quod attinet, quibus suffulti in priorè quæstione negativam Sententiam elegimus, illæ & æquitati naturali & ipsis Juris Civilis principiis, si hæc in fidem & testimonium huc nobis trahere atque adducere erit licitum, satis videntur inniti, quod infra fusius demonstratum dabimus. Ac primò quidem, Filios familias naturaliter obligatos esse, satis superque ex ipsa acceptatione mutui probari potest: Quod enim mutuum accipi-

ens

ens ad restitutionem ejus obligetur, non Sacrae modo  
 Literae *Psalm. 37. v. 21. j. Sir. c. 29. v. 1. 2. 3. & 4.* Sed  
 etiam prima Juris Naturae principia inculcant.

§ VIII.

Cui notissima Regula, quam etiam Imperator Ju-  
 stinianus in §. 3. *J. de J. & J.* praescribit, est incognita. Ne-  
 minem esse laedendum? Hoc autem praeepto muniuntur  
 & velut sacrosancta esse jubentur non illa tantum, quae  
 nobis ipsa natura concessit, uti vita, corpus, pudicitia &c. sed  
 etiam ejusdem praeepti vis per omnia Instituta, actus,  
 & Conventiones se exserit, adeoque eam quoque laesio-  
 nem complectitur, qua damnum alterius rebus vel occa-  
 sione earum infertur. *vid. Puffend. d. J. N. & G. Lib. 3. c. 1. §.*  
*1. & 3. Eund. d. O. H. & C. Lib. 1. c. 6. §. 5.* Quid enim  
 aequius, quam illi, cujus utilitatem promovere tenemur,  
 non nocere monente *Seneca Ep. 95.* Gravissimum au-  
 tem omnino perferretur damnum, qui mutuum nobis  
 dedit, si ab omni obligatione ad illud restituendum nos  
 eximere vellemus.

§ IX.

Sed & hoc inter prima Juris naturalis principia  
 celeberrimi hujus Disciplinae Scriptores cum Imperatore  
 Justiniano *in alleg. §. 3.* referunt: Suum cuique esse tri-  
 buendum. Unde *Seneca lib. 3. c. 14. de benef.* Aequissima  
 vox est, inquit, & Jus Gentium praeseferens Redde  
 quod debes. Ut adeo primas plane Juris naturalis Re-  
 gulas negligere videatur, qui mutuo acceptam, quam  
 Creditori debet, pecuniam non restituit, & sic obligatio-  
 nem naturalem haud agnoscit.

§ X.



§. X.

Neque in his præceptis Jus Naturæ acquiescit, sed & specialiora nobis fundamenta suggerit, quibus assertionem nostram corroborare possimus, ex quibus potissimum illud est, quo Promissa & Pacta esse servanda asseritur. Hoc enim Societas humana maximè require videtur, utpote cum sublata fide mutua inter homines officia penitus corruant, & ipsa Socialitatis Vincula dissolvantur. Bene *Aristoteles* ait *Rhetor. Lib. 1. c. 15.* ἀληθῶν γεγονομένων συνθηκῶν ἀναρῆται ἢ πρὸς ἀλλήλους χρεῖα τῶν ἀνθρώπων. Sublatis pactis tollitur inter se usus hominum, & *Ulpianus* in *lege 1. ff. de pact.* Nihil fidei humanæ tam congruum est, quam ea quæ inter nos placuerunt, servare. *Puffend. d. J. N. & G. Lib. 3. cap. 4. §. 5. & de O. H. & C. Lib. I. cap. 9. Grot. d. J. B. & P. Lib. 2. c. 11. §. 4. Thomas. Jurispr. div. Lib. 2. cap. 7.* Cum itaque Ille, qui mutuo nobis pecuniam dedit, fidem nostram secutus sit, eam fallendo immemores non sine nota esse- mus præcepti de fide sanctissimè servanda, cum etiam Jura Civilia velint, ne quis suam voluntatem in alteri- us mutet præjudicium *l. 75. ff. d. R. J.* Ut taceamus be- neficii instar regulariter esse mutuum dare, adeoque debitorem ex Lege Gratitude ad illud reddendum te- neri. Atque ex his luculenter putamus constare, Eos, qui mutuum acceperunt, secundum Jus naturæ ad resti- tutionem esse obligatos.

§. XI.

Ab hac autem generali obligatione Jus Naturæ fi- liosfamilias quæ tales non eximit. Neque enim secun-  
B
dum

nodo  
 Sed  
 r Ju-  
 Ne-  
 untur  
 quæ  
 ec. sed  
 actus,  
 latio-  
 occa-  
 c. 1. §.  
 enim  
 emur,  
 im au-  
 nobis  
 m nos  
 ncia  
 eratore  
 se tri-  
 uissima  
 Redde  
 lis Re-  
 quam  
 ligatio-  
 §. X.



dum Illud invalidè contrahunt, cum & rem, de qua agitur, intelligant, & ratione æque gaudeant ac Isti, cum quibus paciscuntur. Insolens secundum principia æquitatis est, peculiariter subveniri hominibus, nisi id vel Infantia vel furor, vel alia eorum conditio exigat; sola igitur filii familias qualitas ab obligatione debitorem haud liberare potest. conf. *Grot. d. J. B. & P. Lib. 2. cap. 11. §. 5. Habn. ad Wesenbec. de SCto Maced. n. 2.* proindè firmiter concludimus, Eisdem ad pecuniam restituendam obligatos esse, utut Effectum obligationis Leges Civiles circumscribere aut tollere queant. *Kulp. Coll. Grot. Exerc. 11. §. 2. lit. f.*

## §. XII.

Prolixius hic excutere quidem poteramus quæstionem: An & quatenus Superioris voluntate obligatio Subditorum naturalis irrita reddi queat, quod certa ratione fieri posse largimur, atque eò respicit Ulpianus in *l. 6. ff. d. J. & J.* quando ait: Jus civile effici, dum Juri naturali aliquid additur vel detrahitur. Sic enim Legislator in Senatus Consulto Vellejano naturalem quoque obligationem irritam esse voluit *l. 16. §. 1. ff. ad SCtum Vellej. j. l. 9. C. eod.* & vinculum etiam ex juramento Subditorum Lege Superioris impediri, vel dissolvi posse (conf. *Num. c. 30. v. 5.*) ostendit, pluribusque deducit *Grot. d. J. B. & P. L. 2. c. 13. §. 10.*

## §. XIII.

Verum enim verò non opus est ut diutius his immoremur, cum obligationem naturalem in SCto Macedoniano non esse extinctam facili negotio evinci queat.

Sa-

Satis enim clara sunt verba Legis *10. ff. de SCt. Maced.* Naturalis obligatio manet; *conf. Brunnem. adh. l. n. 1.* pariter effectu eandem haud destitui, indicat *l. 40. ff. de Cond. Jnd.* ubi dicitur, quod filii familias solutum repetere nequeant à Creditore; Condictio verò Indebiti locum habet, quoties naturaliter Indebitum est solutum; *l. 10. ff. d. O. & A. l. 16. §. 4. ff. de Fidej. & Mand.* præterea nunquam Senatus Romani intentionem eam fuisse, ut Filios familias ab obligatione naturali eximeret, satis probari potest ex verbis Ulpiani, qui recenset Filios familias ob Odium Creditorum actione liberari, non quoniam Lex Eos exonerare voluit *l. 9. §. 4. ff. de SCt. Maced. Brunnem. ad leg. 7. C. d. SCt. Maced. n. 8. conf. Covarruv. Parte 2. Relection. c. quamvis pactum de pactis 6. t. 1. §. 3. d. Juram. confir. Contract. à lege prohibitis n. 6.*

§. XIV.

Cum itaque firma & efficax naturalis obligatio in Senatus Consulto Macedoniano maneat, uti in superioribus ostendimus, Filios familias ad restitutionem mutuo accepti in Conscientia teneri existimamus. Quemadmodum enim obligatio naturalis ipsa æquitate nititur, ita ejus Efficacia in hoc præcipuè consistit, quod, quamvis actionem Civilem non producat, nihilominus tamen Conscientiam hominum stringat, ut facile cognoscere queant, se, ubi huic non satisfecerint, voluntati divinæ repugnare, & sic tutos esse non posse in Conscientia. *Brunnem. ad. l. 7. C. d. SCt. Maced. n. 8. Fabrin. L. 2. Contr. cap. 62. in f. j. M&V P. III. D. 35. n. 17.*

§. XV.

Restat ut, ad alteram quaestionem conversi, paucis consideremus, An & Quatenus Filiifamilias Exceptione S<sup>C</sup>ti Macedoniani salva Conscientia uti, & sic à Creditoris actione se liberare queant. Non dubitamus verò hanc Exceptionem illis competere, quoties ne quidem naturalis obligatio Eos ad solutionem mutui obstringit. Quamvis enim regulariter ad restitutionem obligati sint, nonnulli tamen occurrunt casus, in quibus Filiifamilias etiam salva conscientia pecuniam mutuo acceptam retinere & Exceptione S<sup>C</sup>ti se tueri possint, idque nonnunquam Creditoris nonnunquam etiam Debitoris intuitu accidit.

§. XVI.

Ratione Creditoris filiumfamilias à necessitate reddendi mutuum acceptum liberabimus Primò, si Creditoris tempore celebrati Contractus tantus fuerit dolus, ut sciens Filiofamilias pecuniam ad luxuriam, ostentationem, lusus vetitos aliaque illicita, quocunque etiam nomine veniant, crediderit, neque enim perdituris mutuum dantes digni sunt, qui repetitionem pecuniæ habeant, quam profudisse & donasse videntur, ne suo sibi scelere quærant actionem. *fac. l. 12. §. 11. ff. mand. l. 12. §. 1. ff. de furt. Vinn. ad §. 7. J. quod cum eo qui in al. pot. n. 1.* Equidem Filiifamilias non debuissent mutuum hoc accipere, quoniam tamen sæpissime, ætatis imbecillitate lapsi, non satis intelligunt pecuniam bene collocandi rationem, interdum etiam eò prolabuntur, ut existiment ad exemplum aliorum laute ven-

vendum, deliciis ac luxuriæ indulgendum esse &c. Creditores hujusmodi ipsis prudentiores esse decebat, justam igitur hanc sentiunt suæ malitiæ ac temeritatis pœnam, quod pro perdituris habentur *d. d. ll. Brunnem. Cent. 2. Dec. 27. n. 5.* atque sic odio potius quam ulla commiseratione digni sunt, dum sua mutuidatione magis corruptum quam adjutum ivere mores filiorum familias *Barbos. ad l. 2. C. de SCt. Maced. Wames. Cent. civ. 2. Conf. 99. add. Besold. in Tr. de Mutuo. c. 21. n. 4. Brunnem. ad l. 10. ff. de SCt. Maced. n. 2.*

§. XVII.

Quemadmodum autem Jus civile puniendos esse censet Illos, qui mores alterius deteriores reddunt, dum e. g. adversus fœneratores nostram SCti Exceptionem & contra eum, qui servum alterius quoad animum deteriore fecit, actionem de servo corrupto concedit *l. 1. §. 3. & 4. ff. d. Serv. corrupt.* sive luxuriosus sive contumax factus fuerit *l. 2. ff. eod.* ita quoque Ipsum Jus Naturale pro delicto agnoscit dolum, ex quo Creditores fieri locupletiores non convenit juxta naturalem æquitatem *a. l. 14. ff. d. Cond. Jnd.* quæ potius nocentes pœna afficiendos esse dicitur. *Osiand. ad. Grot. L. 2. c. 20. P. 1119.*

§. XVIII.

Secundo ad restitutionem mutui obstrictos esse Filiosfamilias in Conscientia negamus, quoties Creditores iis saltem eum in finem pecuniam mutuo dederunt, ut eam in Creditorum utilitatem illicitè converterent, atque Illi inde locupletiores facti non sunt. Ita

adhuc hodiè Receptatores Aleatorum non pauci filiis familias lubentissimè pecuniam credere solent, ea intentione, ut illam inutiliter in Esculenta & potulenta à se præparata consumant, ipsique ex facta ludendi Copia injustum lucellum consequantur; imò etiam Aleatores invenias, pecuniam collusoribus mutuo dantes, ut hac via ad lusus illicitos invitatos pecunia mutuo accepta emungant. Quemadmodum igitur iis nulla tum datur actio ad creditum recuperandum *a. l. 1. l. 2. §. 1. ff. de Aleat. l. 2. §. 1. ff. quar. rer. act. non dat. Berlich. Dec. 66.* ita naturalis æquitas ne quidem filios familias ex tam improbo Creditorum factò cum effectu obligari patitur, idemque de Cauponibus & œnopolis cerevisiam vinumve immoderatè credentibus, & sic Adolescentes corrumpentibus adstruendum putamus cum *Bechmanno ad l. 3. §. 3. ff. d. SCto Maced. n. 88.*

§. XIX.

Cæterum cum naturalis æquitas suadeat, ut nemo ad restitutionem ejus, quod sine sua culpa facere non potest, obligetur, nec aliud in filiis familias obtinere videtur, qui mutuum acceptum, quamvis maximè velint, restituere nequeunt, id quod contingere solet, quoties adhuc in Parentum potestate existunt, præsertim cum eorum obligatio in Patris præjudicium vim suam non exferat.

§. XX.

Quamdiu verò iis in Casibus, quibus naturaliter filii familias ad solutionem obligati sunt, hæc Exceptio secundum principia naturalia competat, nondum omninò expeditum est. Equidem Jus Civile eam largitur in perpetuū *a. l. 11. ff. d. SCt.*

*Sct. Mac. j l. 5. §. f. ff. d. dol. mal. et met. exc.* idem tamen, dum ad obligationem naturalem filiosfamilias respicere jubet, eandemque manere ostendit, hanc limitationem admittere videtur, dummodo ex postfacto illius usurpandæ ratio haud deficiat, cum & alias nullibi Filiosfamilias prætermittere hanc Exceptionem vetet *d. l. ii.* ac proinde optime suæ conscientiæ consulent, si Exceptionis hujus usu cessante illius indulgendæ naturali ratione abstineant.

§. XXI.

Quod si autem Filiifamilias eo tempore, quo mutuum acceperunt, se Exceptione Scti Maced. adversus Creditorem ufuros non esse juratò promiserint, dubitatum jam dudum fuit inter Doctores, an renunciatio hæc juramento confirmata debeat habere eum effectum, ut conventi Exceptionem opponere nequeant. Nobis tutissima videtur sententia Eorum, qui Filiosfamilias optimè animæ suæ consulere putant, si penitus hoc remedium isto casu neglexerint, cum Juramenta, quæ salva salute æterna servari possunt, servanda sint *c. 2. de pact. 6. nisi cedant in Tertii præjudicium c. 28. X. de jurej. Covarr. in c. quamvis de pact. 6. part. 2. §. 3. n. 5. seq. Carpz. P. iii. Dec. 256. n. 13. seq.* ubi in Facult. Jurid. & Curia Supr. Prov. Lips. ita pronunciatum monuit, *j. tn. Ej. Diss. de Mutuo pos. 3. n. 9. Brunnem. ad l. 10. ff. ad Sct. Maced. n. 3. ad l. ii. ff. eod. n. 7.* Quod si igitur Pater mortuus fuerit, adeoque præjudicium Ejus cesset, Exceptioni nullus relinquendus esse videtur locus, *Simon. D. de Cessat. Scti Maced. tb. 18.* quod etiam eo casu, quo renunciatio jurejurando non fuit corroborata, observari æquitas naturalis

lis

lis suadet. *Zafius L. 2. Singul. Respons. c. 28. conf. Christinaum V. III. D. 35. n. 10.* Reipublicæ verò præjudicium in dubio tantum non esse videtur, ut juramentum reddatur invalidum, cum Leges solutionem fieri nunquam prohibuerint; quod enim in *l. 45. §. 1. ff. d. R. 7.* dicitur: Privatorum Conventionem Juri publico non derogare, illud de Jure arbitrio privatorum exempto tantum intelligendum esse putamus, cum jure pro se introducto quilibet non uti queat. *l. pen. C. de pact.*

§. XXII.

Quo obscurior autem & pluribus dubiis involuta est quæstio nostra, eo frequentius in diversas Auctores abeunt Sententias. Nos potiora saltem Dissidentium argumenta proponemus, & pro virili ad eadem respondebimus.

§. XXIII.

Qui filios familias salva conscientia pecuniam mutuo acceptam retinere posse, statuunt, hoc imprimis pro sua opinione urgent, quod qui sua culpa sentit damnum, illud non videatur sentire *l. 203. ff. d. R. 7. c. 86. d. R. 7. 6.* ac proinde Creditor non habeat, de quo possit conqueri, cum pecuniam temere crediderit, & non melius sibi prospexerit *Dn. de Jena in Tr. de SCt. Maced. Sect. 6. aphor. 6. n. 17. Fromm. D. de SCto. Maced. tb. 24.* Ast Creditoris hac in parte culpa nondum satis expedita est. Quod si enim SCtum Macedonianum ignorans Creditor in ea fuerit conditione, ut æquitas ac juris ratio haud patiatur noxiam ipsi esse juris Ignorantiam, *conf. l. 3. §. 2. ff. ad SCt. Maced. j. l. 9. ff. d. Minor.* eidem subveniri æquissimum



simum est. Præterea si Legem, quæ prohibet mutuum filiofamilias dari, rectè intellexit, non statim dolo malo aut ea accedente culpa, quæ amissionem Crediti mereatur, mutuum dedisse existimabitur, cum qui fidem debitoris secutus est, posteaquam is se obligationi per mutuum contractæ satisfacturum esse promisit, non ilicò suum jactare præsumatur, aut dignus sit, qui jure Crediti privetur, siquidem nulla Lex filiumfamilias bonam fidem agnoscere, mutuoque accepta reddere vetat *l. 9. §. 4. ff. ad SCt. Maced. l. 7. §. f. ff. eod.* & ab æquitate alienum est, ludibrio haberi illum, qui alium cordatum, hominem esse sibi persuasit *Puffend. d. J. N. & G. Lib. 3. cap. 4. §. 2.*

§. XXIV.

Nec est quod Dissidentes dicant: Qui jure suo utitur, nemini facit Injuriam *l. 55. ff. d. R. J. l. 24 §. f. & l. 26. ff. d. damn. inf.* Primò enim negamus, illum, qui creditum non restituit, suo jure concessio uti, quia eo non utitur debito modo, quippe cum Lex saltem ab actione quadam Civili, non verò obligatione ex jure naturæ proveniente eum liberaverit, ut in superioribus demonstravimus. Deinde existimamus distinguendum esse, utrum Lex humana aliquid præcipiat, an verò saltem certis rationibus mota permittat. Priore casu quemadmodum Conscientiam plerumque ad observantiam obligat, ita etiam Legis observatio conscientiam non lædit, uti prolixè hoc demonstravit *D. Gerhard. Loc. Theol. T. 6. de Magist. Pol. §. 268. Bald. in Cas. Consc. Lib. 4 c. 12. cas. 15.*

C

Poste-

Posteriore verò casu eam quidem Impunitatem, non verò securitatem semper in Conscientia præstare arbitramur. v. *Grot. d. J. B. & P. Lib. 2. cap. 1. n. 14.*

§. XXV.

Cæterum fuere, qui cum Creditore minus benigne agi cernentes eidem Denunciationem Evangelicam concesserint. vid. *Dn. de Jena in Tr. de Sct. Mac. Sect. 4. aphor. 7. n. 4. & 11. & Sect. 6. aphor. 6. n. 25.* ut Remedio hoc | extraordinario Juris Civilis actionibus destitutus adversus peccantem in subsidium uteretur, eumque Ecclesiæ denunciaret, quò Ecclesiasticis remediis compelleretur ad se à peccato liberandum, & res injustè detentas restituendas. *conf. Dn. de Jena in alleg. Tr. Sect. 4. aphor. 4. n. 6. Fachin. Controv. Lib. 2. c. 25.*

§. XXVI.

Quod si igitur locus huic Denunciationi secundum Eorum sententiam relinqueretur, satis superque ex eo appareret, debitorem filium familias peccasse, qui mutui restitutionem non fecit: Præsupponit enim hoc remedium factum illicitum, cum Ecclesia, quæ juxta naturalis & civilis juris normam rectè suscepta sunt, destruere nequeat. Nos verò hanc Denunciationem in medio relinquimus, cum non ignoremus, eam, quamvis ex *Matth. c. 18. v. 15. 16. 17. Luc. c. 17. v. 3. it. c. 13. X. d. jud.*

*jud. petatur, nisi de ejus receptione certò constet, locum apud nos plane non habere, ne fortè confundatur Jurisdictio Secularis & Ecclesiastica ceu optimè docuit Illustr. Dn. Schwend. ad. Fibig. proc. p. m. 813. j. tn. Brunnem. Cent. 3. Dec. 20.*

§. XXVII.

Atque hæc dicta sufficiant inpræsentiarum. Plura quidem materiæ Gravitas exigere videbatur, verum pauca pro imbecillitate Ingenii suppeditare, quam multis L. B. molesti esse maluimus; unde hujus Disputationis filum abrumpimus tribu-  
entes

S. D. G.

COROLLARIA.


I.

*Lex Civilis, quæ periculum rei Commodatæ in Commodantem transfert, non videtur repugnare æquitati naturali.*

II.



94 T 110



II.


Qui delictum, cuius committendi Scientiam habuit, quoad fieri potest non impedivit, in Foro Soli quidem regulariter non punitur, in Foro Poli verò tutus non est.

III.

Pro sola Rerum defensione nemo salva conscientia potest interfici.

IV.

Quando Jura Civilia Patri & Marito facultatem Adulterum in Adulterio deprehensum certis in casibus occidendi tribuunt, Impunitatem quidem sed non securitatem in Conscientiâ præstant.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8


Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Faint, mirrored text from the reverse side of the page is visible through the paper. The text is bleed-through and includes words such as "DISSERTATION", "QUESTION", "AN RE OVA", "FILLIFAM", "SENATERS GO", "MACHUJAN", "THE EARLY CO", "In the", "CON", "FACULTY'S", "M. CHRISTIAN", "MICHAEL HE", "1852", "1853", "1854", "1855", "1856", "1857", "1858", "1859", "1860", "1861", "1862", "1863", "1864", "1865", "1866", "1867", "1868", "1869", "1870", "1871", "1872", "1873", "1874", "1875", "1876", "1877", "1878", "1879", "1880", "1881", "1882", "1883", "1884", "1885", "1886", "1887", "1888", "1889", "1890", "1891", "1892", "1893", "1894", "1895", "1896", "1897", "1898", "1899", "1900".

